

id enim verba ipsa sonant, & in similibus eadem frasi vitur Agnellus loquens de his, quae se vivente pessumierant. Sic infra in vita Maximiani; & praedicta Episcopia (Arianorum) usque ad nostra tempora permanferunt, & alii eodem modo loqui amat. At quid est, Civitatem Argenteam construi in processu natalis Martyris? Dicam quod sentio. Sermo hic de donariis à Gemello Subdiacono Rectore Siciliae oblatis Ecclesiae S. Agnetis à se ipso edificata. Inter ea Civitas Argentea fuit, quae usui erat in processu fieri solito recurrente die natali S. Agnetis sacro; quod quidem donariis perierat Agnelli tempore recentiorum Episcoporum, de quibus suo loco, prodigalitate. Hoc modo explicata ritè sibi constat oratio. Verùm cum vana Antiquus Processus essent, de Processu hic agi, qui Martyris ad cultum spectaret, nullus ambigo. Ἀργενταίον, sive ἀργενταίων ἕξω, seu τῶν αἰών dicebantur Byzantini Imperatores, cum solemnè pompa adhibita ad Palatia Constantinopoli proxima procedebant, vel ibidem morabantur, quae de re eruditissimè Duchangius in Constantinopoli Sacra lib. 4. sect. 11. num. 2., & in Glossario Gracitatis. Ex his tamen, quae in eam rem congesti laudatus Scrip- tor, apparet eodem nomine votatum ritum Ecclesiasticum procedendi, quo Episcopi cum Clero, & Populo certis solennitatibus procedebant, quod ex eo fortasse, quia & ipse Imperator cum pompa, & apparatu esse solet, ἀργενταίων fieri dictum fuit. Id astruit Conc. Constantinop. sub Meno Abor. 7. ubi dicitur, ἡ συνήθεια αἰς διακονίαν ἡμῶν αἰς θεοῦ, καὶ εὐχὰς Μαρίας, αἰς διακονίαν ἰν Βλαχίαις, ἀρχαίως ὄντος βασιλικῶν ἰν Synaxi Reginae nocte Matris Dei, & Sanctae Mariae, quae est in Blachernis, cum habebatur Processus Imperialis. De Processibus autem huiusmodi, quos ex Imperatoris interventu ita specialiter vocatos conjici posse videtur, loqui existimo Anastasium in Agathone, ubi narrat, instante Pontifice, Episcopo cuidam ab Imperatore interdictionem, ne ad Processum veniret. Processus huiusmodi cum Imperatoris interventu, & pompa, Exuperantii, & Successorum aliquot tempore Ravennae habitos, suadet Valentiniiani ibidem mora, & conjectura locum faciunt, mores, & ritus Constantinopolitanum in multis ab Ecclesia Ravennate affectati. Sic Ecclesia eadem appellatione vocata, quae celeberrimae Constantinopoli, ut Sanctae Mariae in Blachernis, cujus Operis Scrip- tor Agnellus Abbas fuit.

II. In his autem Processibus celebritatem, & Lætitiam in natale Martyrum intentam potius crederim, quam penitentiam, seu expiationem, quae ceterum in litaniis, processionibus, & rogationibus primario intendebantur; ac de huiusmodi Processibus frequentia Populi celebratis loqui arbitror Hieronymum ad Eustochiam epist. 22., illam à Processibus removens; Martyres tibi quaerantur in cubiculo tuo, nunquam causa deerit procedendi, si semper, quando necesse est, progressura sis. Idem suadet epist. 12. ad Gaudentium, & epist. 7. ad Letam. Ad Processus revocandam censeo pompam, quae festivis diebus per annum Episcopus, seu Romanus Pontifex ad Missarum mysteria procedebat, de quibus in Ordinibus Romanis, qui dum agebantur à Pontifice procedente dirimebantur lites, & causae, ut apparet ex Ordine primo à Mabillonio edito num. 2., ubi Mabillonius ipse adnotat; sic causae nonnunquam in ipso Processu finiebantur, unde Processus vocabulum linguam nostram Gallicam (immo & Italianam) pro lite fluxisse, quidam Viri docti opinantur. Porro distinctionem Processuum lætitiae, & celebritatis causam habitorum ab his, qui expiationis, & penitentiae causam fiebant, apparet ex ipso ritu; etenim in his Col-

A lecta in una Ecclesia habebatur, Statio in altera, in illis verò procedebatur absque Collectis. Vide indicem Stationum ab ipso Mabillonio editum To. 2. Musei vaticani, ubi Collectae adnotantur singulis diebus per Quadragesimam, minime autem in aliis. Novi oppositum quodammodo docuisse Mabillonium ipsum, cujus auctoritate deterritus, serè ab allatis scribendis recesseram. Stationes, quas Collecta praecedebat solennes, alias privatas vocat ipse in Commentario praevio num. 5. At dierum, & occasionum distinctio, quibus fiebant, alud suadere videtur. Hinc & modo oratio illa, quae Collecta improprie vocatur expiationis causam semper adiungitur orationibus diei. Praeterea utraque solennes fuisse, vix dubitari posse reor ex Ordinum lectione, in quibus describitur pompa solennis procedendi. Sic in Ordine primo num. 2., & alibi.

B III. Quae verò donarii species Civitas Argentea? Profecto nisi mendum Descriptoris vitio cubet (quod valde suspicor) arguere licet, Civitatis Argenteae effigiem in tabula expressam, argenteis videlicet bracteis obductam, quae in solennioribus Processibus, & potissimum in die natali S. Agnetis ornatus gratia exponeretur; nam ceterum in Processibus quae deferebantur, ad Missae ἀνακρίσιν pertinebant. Illud demum evincit hic de Argentea Oppido minime Agnellum loqui, quod Civitas illa vocaretur, quae Episcopo gaudebat, cetera loca Castra dicebantur. Vide ejus rei argumenta apud Duchangium verbo Castrum, & in Appendice primi Tomi verbo Civitas. Id etiam Civitatis Argenteae edificationem, sive constructionem tribus potius Gemello, quam Exuperantio, efficit, ut mirum sit belle adeo hinc Argenteae Oppidi initia intellecta, & Exuperantio attributa.

C IV. Verba illa Aedificator Tricoli, sed non consummator videntur hic irrepisse aliunde, cum infra eadem illam à Petro Chrysologo fundatam narret Agnellus, & versus adjecti id ipsum probent. Hoc ipsum, quae immediatè praecedunt, & subsequuntur, vix aliàs separabilia, legenti suadent.

D V. Quae sequuntur astruenda Agnello fidei apte faciunt; sincerè enim fatetur se cum vel ex documentis, vel ex aedificiis, vel ex majorum traditione Episcoporum gesta, atque intellexit, ea scriptis mandasse, cum verò omnia deerant, ne seriem Pontificum interrumpere, ea dixisset, quae sibi probabili conjectura vera videbantur. Perperam igitur ex elogiis generalia tantum tradentibus, argumentum sufficiens visi sibi sunt habere plerique, certa nonnullis Episcopis adscribendi. Verùm multò magis reselluntur fabula Pseudo-dextrina à Fibro laudata, & resellitur conjectura de epistola Hieronymi huic Exuperantio scripta; haec enim omnia Agnellus ignoravit, & ignorare Ravennates Agnello Seniores; Utinam autem, quam hio Agnellus in scribendo fidem jactat, & in antiquioribus narrandis utcumque servasse fatemur, ubique, & in recentioribus custodisset, minusque suorum Conterraneorum fabulis, suaeque in Romanam sedem aversioni, indulisset;